



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De pr[a]eparatione, quam adhibebit Parochus in communione frequentis
populi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

De preparatione, quam adhibebit Parochus in communione frequentis populi.

CVM dies inflat communionis sacre frequenti populo ministrade, pridie illius diei Parochus scamna oblonga, & alta, & lata ad formam prescriptam apparabit: mappas itidem a sordibus puras, & candidas, quibus illa recte ordineque sternantur, pro frequentis populi ratione.

Parabit mappam lineam subtili textura nullo artificio elaboratam, que cubitis tribus longa feratur, si opus sit, sub pixide, & manibus ministrantis.

Scabella duo decentia: in quibus collocentur vasa, & cetera ad purificationis usum.

Mantilia ad scabella illa sternenda.

Intortitia duo, plurave, pro ratione diei solennis; quibus lucentibus clerici itidem duo preceant sacerdotem ministrantem.

Clericos parochie sue omnes stata communionis die presentes adesse premonabit: qui superpellico induti, ministrantem pro munere sui functione adiuvent.

Altare vnum maribus, alterum sceminis constituet, ubi communicent; maxime si ingens populi sacram communionem sumentis multitudo est.

Deliget vero in sacra communionem sceminis ministranda, si opus sit, sacerdotem adiutorem spectata integritate; & clericos probatos, qui illum ministrantem etiam adiuvent.

Omnibus recte paratis, vespere, aut prima hora noctis signum campanarum solenne dabit, quo fideles, qui sacram communionem postredie sumpturi sunt, se excitent ad meditationem, orationem, omnemque aliam pietatis preparationem: alij vero etiam presentur sibi id gratie dari, ut desiderio, & voto sacre Eucharistie sumende incenduntur, quod frequentius ad diuinam hanc mensam veste nuptiali ornati accedant.

Inter communicandum preterea id etiam per alium idoneum sacerdotem aliquando prestabit, ut verborum ponderis, & sententiarum quasi saculis, op-

portunaque aliqua, & breui cohortatione populus collectus excitetur, cum ad hanc sanctissimam preparationem, tum ad frequentiam huius sacramenti: preterea & ex veteri instituto antiphona, & psalmos item, ut infra, a reliquo clero parochiali religiose cani studebit; & etiam repeti, si spatium detur.

Ordo ministrandi sacram communionem.

Parochus sanctissimam Eucharistiam ministraturus; si quidem intra Missam, seruentur rubricis Missalis; si statim post Missam, casulam a parte Evangelij, & manipulum deponit: si alio tempore, lotis manibus induit superpelliceam, & stolam rubri coloris: ad gradus altaris orat: mox ascendit.

Facta genuflexione, ad populum conuersus, a parteque Evangelij stans capite aperto, sermonem habet ad communionem accommodatum, si tempus opportunum dabitur.

Deinde monet, qui communicaturi sunt, ne accedant, nisi pacem cum proximo habeant; & omnino nisi recte purgati sint, & preparati.

Rursus genuflectit; pixidem de tabernaculo extrahit; aut si extracta est, eam aperit; & repetita genuflexione, a parte Evangelij consistit, ita versus ad populum, ut tamen etiam sanctissimum sacramentum reuerenter manibus iunctis aspiciat.

Tum Diaconus, aut Clericus superpelliceo indutus a parte epistolae genuflexus, monet omnes, signum crucis sibi quemque adhibere; ipseque alta, & clara voce signans se dicit: In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Amen. & manibus iunctis confessionem generalem dicit eadem voce, & tarda pronuntiatione: illis simul cum eo distincte pronuntiantibus; aut saltem attentissime audientibus.

Confiteor Deo omnipotenti, Beate Marie semper virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Ioanni Baptiste, sanctis Apostolis Petro, & Paulo, Beato Ambrosio confessori, omnibus sanctis, & tibi pater; quia peccauimus